

TRIBUNAL DIOECESANUM SALMANTICENSE

SALMANTINA

NULLITATIS MATRIMONII

(IN CASU EXCEPTO)

Sententia diei 7 aprilis anni 1959

Coram Ilmo. Dr. Dn. IOANNE SÁNCHEZ, Officiali Curiae

SPECIES FACTI

I. *Actuationes Officialis propria auctoritate.*

1. Die 14 septembris anni 1939, Ildefonsus matrimonium contraxit cum Anna coram facie Ecclesiae in ecclesia paroeciali "Scti. Marcelli", civitatis et dioecesis L. ut constat ex documento subscripto a paroco ecclesiae praecitatae Scti. Marcelli, dato die 19 ianuarii 1959, prout in exemplari authentico in actis recepto.

2. Die 6 maii anni 1958, D. López, cum mandato procuratorio valido in iure et sub directione advocati D. Serrano, uterque cum nostra approbatione, nomine actoris Ildefonsi exhibuit coram nobis libellum introductorium litis nullitatis matrimonii initi inter actorem et Annam, ex capite impedimenti dirimentis ligaminis ex vinculo prioris matrimonii Ildefonsi cum Mathilde, subsistentis tempore secundi matrimonii; matrimonium cum Mathilde valide celebratum, licet in forma extraordinaria, in adiunctis de quibus in C. 1098, tempore belli et seditionis communistarum in Hispania, invalescente persecutione religiosa, in oppido C. dioecesis L. coram iudice civili, secretario et duobus testibus, die 30 decembris anni 1936. Factum celebrationis hujus matrimonii constat ex restricto literali dato die 22 octobris 1958 apud acta existente (Fol. 65) hujus tenoris: (*Omissis*).

3. Post inutilia tentamina coram Tribunali Salmanticensi, dum munere Officialis fungeretur Dr. R., similiter coram Asturicensi et Legionensi, iam ab anno 1950, libellum introductorium causae denuo huic Tribunali Salmanticensi mittitur, invocata competentia ratione domicilii tum actoris, tum rei, juxta C. 1964. Constat de domicilio actoris in

civitate salmanticensi cum commoratione protracta ad 18 annos ex documento apud acta (Fol. 17), dato die 3 junii 1958; quoad conventam nullum dubium ex praescripto C. 93 C. I. C.: "Uxor a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium viri sui...", doctrina quae clarescit responsione Com. P. Interpr. I. C., data 14 julii 1922 ad quaesitum: "Utrum uxor a viro maliciose deserta, possit ad normam C. 93, obtinere proprium ac distinctum domicilium?, R. Negative, nisi a iudice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam, aut tempus indefinitum". Iam vero, quia aequa competentia gaudet iudex loci in quo matrimonium celebratum est, diligenti cura cautum fuit, ob dubia exorta, ne forte daretur locus praeventioni in favorem iudicis legionensis, qui nostris litteris diei 6 junii 1958, respondit: "En las diligencias que obran en este Tribunal Eclesiástico practicadas a instancia de D. Ildefonso sobre nulidad de matrimonio del mismo con Ana, no ha habido citación que haya dado lugar al derecho de prevención a favor de este Tribunal en la causa propuesta a tenor de los CC. 1725,2 y 1568 del Código de Derecho Canónico; y que desde el 23 de agosto de 1954, no se ha practicado ni instado diligencia alguna en la misma". (Apud acta Fol. 26). Decreto Nostro diei 12 junii 1958 declaratur competentia hujus Tribunalis.

4. Decreto Nostro diei 13 junii 1958 proponitur ad discussionem quaestio praevia de jure actoris ad accusandum matrimonium ad normam C. 1971, cum quaedam appareant dubia. Post discussionem quaestionis, audito et consentiente Promotore Iustitiae, declaratur ius actoris ad accusandum matrimonium, per sententiam interlocutoriam diei 17 octobris 1958, hujus tenoris. "Vistos el C. 1971 y el art. 37 de la Instrucción de la S. C. de Sacramentos del 24 de julio de 1936. DECRETAMOS: Que procede declarar y declaramos, de acuerdo con el Ministerio Fiscal, la habilidad del demandante. D. Ildefonso para acusar el matrimonio que contrajo con D.^a Ana y en su consecuencia decretamos la admisión de la demanda presentada en nombre del demandante por el Procurador de los Tribunales de este Colegio de Salamanca D. López, asesorado del Letrado de este Colegio de Salamanca D. Serrano, y mandamos que en el plazo de diez días, a contar desde el momento de recibir nuestra citación, comparezca ante este Tribunal por sí o por procurador a contestar a la demanda".

5. Legitime citata conventa, die 17 octobris anni 1958, scheda citationis litteris rogationalibus mittitur Ilmo. Officiali dioecesis Asturicensis, ut iuridice citetur in loco actualis conmorationis: Toral de los Vados, et ei tradatur, ad litis contestationem, exemplar libelli admissi, non comparuit nec per se nec per procuratorem, neque causam allegavit incomparentiae. Iterum citata legitime die 21 novembris sequentis eodem modo, cum comminatione declarandae contumaciae, nec tunc comparuit, nec contumaciam excusavit. Ad instantiam Defensoris Vin-

culi, declaratur contumacia die 9 decembris sequentis decreto huius tenoris: (Fol. 74) "Vistos los cánones 1842 y siguientes y el artículo 89 de las Normas, de acuerdo con el Defensor del Vínculo y accediendo a la petición del mismo: FALLAMOS que debemos declarar y declaramos contumaz a D.^a Ana, demandada por su esposo D. Ildefonso en esta causa de nulidad de matrimonio, que se tramita en Nuestro Tribunal; mandando que siga el juicio en rebeldía, sin perjuicio del derecho que el c. 1846 concede al contumaz, al cual condenamos en las costas de este incidente".

6. His omnibus peractis, cum constaret de competentia Tribunalis Salmanticensis et iuris actoris ad accusandum matrimonium suum cum Anna, quia ex documento comprobato authentico apparebat existentia impedimenti ligaminis ex vinculo prioris matrimonii actoris cum Mathilde, vita functa die 24 ianuarii 1950, post celebrationem matrimonii actoris cum Anna, et prius illud matrimonium certe celebratum in circumstantiis in quibus validum fuit ex servata forma extraordinaria ad normam c. 1098, res defertur Ordinario, auditis et instantibus actore et Defensore Vinculi, ad tenorem art. 226 Instructionis, ut provideret utrum procedat declarare nullitatem matrimonii ut in casibus exceptis, ad normam cc. 1990-92 et artt. 226-230 Instructionis. Die 15 decembris 1958 Exc.mus ac Rev.mus D. Episcopus Salmantinus decrevit quaestionem nullitatis in casu tractari ut in casu excepto et Nobis dedit speciale mandatum, per decretum huius tenoris: (Fol. 81) "Visto el escrito que Nos dirige el Oficial de Nuestra Curia de Justicia sobre lo actuado en la causa "nullitatis matrimonii" I-A; y vistas las actas, en conformidad con los cánones 1990-92 y los artículos 226-230 de las Normas: —DECRETAMOS: Que se instruya esta causa con el procedimiento propio de los casos exceptuados, según las normas del Derecho canónico. A este fin damos especial mandato, tan amplio como sea necesario en derecho al Oficial de Nuestra Curia de Justicia, para que pueda seguir instruyendo esta causa y dar sentencia".

II. *Actuationes Officialis de mandato speciali ut in casu excepto.*

1. Ex decreto Nostro, die 17 decembris 1958 litteris missis Il.mo Vicario Generali dioecesis Legionensis impetrantur ad cautelam: a) exemplar investigationum parochi ante celebrationem matrimonii actoris cum Anna; b) testimonium fidem faciens baptismi recepti a Mathilde; c) exemplari ad litteram misso matrimonii inter actorem et Mathilde contracti certificationis, quaeritur et petitur opportuna instructio investigationis ut constet utrum necne verificentur in casu circumstantiae omnes de quibus in c. 1098 C. I. C., ad omne dubium excludendum circa valorem matrimonii ex parte formae; d) pariter petitur extensiva instructio ad investigandum utrum aliunde esset impedi-

tum ad matrimonium inter actorem et Mathildem. Litterae Nostrae optata, de benigna voluntate Il.mi Vicarii Generalis Legionensis, consequuntur, duplici cum exceptione, altera ex impossibilitate: quoad exemplar investigationis parochi "Scti. Marcelli" matrimonio actoris cum Anna praeviae; altera, forsam ex inadvertentia: quoad circumstantiam praevisionis durationis per mensem, prout in c. 1098 citato exigitur.

2. Nostris litteris, datis die 25 ianuarii 1959, obtemperans Il.mus Vicarius Generalis Legionensis, decrevit committere parochi loci ubi matrimonium inter actorem et Mathildem celebratum est, instruere et peragere investigationem ut constet in casu de praevisione durationis circumstantiarum ex quibus haberi vel alias adiri parochus nequisset die 30 decembris 1936, in qua celebratum est matrimonium in oppido "C"; parochus in actis tradit testificationem quinque testium, qui omnes fidedigni ab ipso parochi dicuntur.

3. Procurator actoris proposuit ad probationem documentum notariale, fidem faciente notario civili legionensi D. Villalobos S., in quo continentur depositiones quatuor testium circa circumstantias regionis legionensis tempore belli et persecutionis.

4. Denuo citatur pars conventa, cui notificatur decretum Ordinarii, quo Nobis datur mandatum speciale ad instruendam et definiendam causam ut in casu excepto; prima et altera citatione legitime facta et recepta, conventa non comparuit nec excusavit absentiam. Decreto Nostro, die 10 martii 1959, de consensu Promotoris Iustitiae et Defensoris Vinculi, declaratur contumacia partis conventae in hac causa quae instruitur ut in casu excepto.

5. Post publicationem processus, concessa partibus facultate acta processualia inspiciendi, tandem datur conclusio in causa ad normam c. 1890, decreto Nostro diei 10 martii 1959.

6. Restrictus responsionis pro actore recipitur die 17 martii 1959, fidenter expectans declarationem nullitatis. Similiter votum Defensoris Vinculi, die 20 martii 1959, tum pro legitimitate processus ut in casu excepto, tum pro sententia nullitatis matrimonii actoris cum Anna.

IN IURE

1. *De modo procedendi in casibus exceptis.*

1. Integra doctrina continetur in C. I. C. a c. 1990c ad 1992 et in Instructione S. Congr. de Sacram., diei 15 augusti anni 1936 (A. A. S. [28], 313, ss.) in titulo XV, artt. 226-231. Dubia solvuntur responsione Comm. Pont. Interpr. diei 6 decembris 1943 (A. A. S. [1944], 94).

Natura processus est certe iudicialis; quaestio iam hodie soluta est, post memoratam responsionem Com. P. Int. Unde, etsi Codex statuatur exceptionem: "...hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus hucusque recensitis..." (c. 1990), nullo modo intenditur mutatio substantialis processus iudicialis, sed excludere formalitates, ut citius resolvatur. Prudentiae Iudicis erit determinare formalitates ipsas, quas convenientes iudicaverit ad pericula praecavenda, ne veritas obnubiletur in re tanti momenti. Maxima autem pars formalitatum ordinarie spectant instructionem causae apud Officialem, si ei causa nullitatis proponitur, antequam omnia referantur Ordinario, ad normam art. 226: "Quoties agatur de casu excepto ad normam can. 1990 Officialis, auditis coniugibus, si comparuerint, et perpensis rebus, videat an de impedimenti existentia seu de nullitatis causa ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constet. De quo si sibi videatur constare, necnon pari certitudine vel alio legitimo modo (Comm. Pont., 16 aprilis 1931, ad I) appareat dispensationem concessam non fuisse, rem Ordinario deferat".

Officialis est, sine dubio, si ipse adeatur, integram instruere causam, tum quoad causam principalem: utrum matrimonium sit invalidum ex impedimento dirimente non dispensato, et utrum sit certo invalidum ex certo et authentico documento; tum quoad omnia incidentia: competentiam, ius accusandi, contumaciam rei, etc., in quibus salvatur exclusiva competentia Ordinarii ex eo quod semper debent omnia ei deferri.

Ordinarii est etiam instruere, vel si ipsum directe coniux aut coniuges adeant, vel si Officialem adeant et hic iam instruxerit, sed iudicio Ordinarii alia desiderentur; Ordinarii, exclusis aliis, est rem definire (art. 227). Officialis, absente vel impedito Ordinario, rem potest definire, sed non nisi de mandato speciali Ordinarii (art. 228).

Nec Ordinarius, nec Officialis de mandato speciali, valide definiunt sententia, "nisi citatis semper partibus iisque auditis, voto etiam exquisito defensoris vinculi necnon promotoris iustitiae, si iste matrimonium accusaverit vel ipsum Ordinarius audire censuerit" (art. 227). Quod de facto audiantur partes, non ad valorem est, nam si citatus quis non comparuerit, necessarium est procedere in absentia, declarata contumacia ad normam iuris (cc. 1842-1851, et artt. 89 et ss.).

2. *De impedimento ligaminis.*

Ex c. 1069, 1: "Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei". Est impedimentum iuris naturalis, ideoque indispensabile. Probatur existentia impedimenti si certo constat matrimonium prius celebratum validum fuisse, et nondum solutum morte alterius coniugis, vel dispensatione pontificia aut solemnii professione (c. 1119), si ratum

tantum, in supposito quod ambo sint baptizati, secus autem in favorem fidei solvitur etiam (c. 1120).

Ad iudicandum de validitate matrimonii constare debet de facto celebrationis in forma iuridice valida, sive ordinaria sive extraordinaria (cc. 1094 et 1098), et absentia impedimentorum dirimentium, vel quae sint indispensabilia, vel quae non sint dispensata. Consensus omnino necessarius (cc. 1081-1083), celebrato matrimonio, praesumitur validus, ex c. 1086: "1. Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis". Principium praesumptionis validum etiam est in casu in quo matrimonium in forma extraordinaria celebratur (Cfr. Decretum S. Officii, die 3 iunii 1943 circa matrimonia in Hispania celebrata tempore ultimae persecutionis, ad dubia proposita a Vicario Generali Tarraconensi).

3. *Forma extraordinaria.*

Extra periculum mortis valide et licite celebratur matrimonium coram solis duobus testibus, si Ordinarius loci, vel parochus aut sacerdos delegatus sine gravi incommodo haberi vel adiri nequeant, et prudenter praevideatur talis rerum conditio per mensem duratura; ita in c. 1098. Absentia Ordinarii vel parochi aut sacerdotis delegati, seu impossibilitas eum habendi vel adeundi sufficit moralis, prout ex declaratione Comm. Pont. Interpr. diei 25 iulii 1931 (A. A. S. [23], 388). Nec requiritur impossibilitas regionalis seu localis, sed sufficit personalis contrahentium; non tamen sufficit impossibilitas adeundi proprium parochum, si sine gravi incommodo matrimonium celebrari possit in alia paroecia coram parochus loci.

Requiritur moralis certitudo illam rerum conditionem per mensem duraturam; certitudo ex notorietate vel ex inquisitione (Cfr. responsum Comm. P. Interpr. 10 novembris 1925 (A. A. S. [17], 583). Certitudo moralis haec. quia respicit futurum, habet unicum fundamentum ex ordinarie contingentibus: consueta et ordinaria, non inopinata et extraordinaria attendenda sunt (Cfr. Rot. Rom., 7 decembris 1931- Decis. [23], 472). Et certe valet matrimonium, etsi contrahentes in fraudem legis egerint, differentes matrimonium ad tempus absentiae, vel se conferentes de loco, ubi parochos adiri possit, ad locum ubi haberi vel adiri nequeat (Cfr. S. C. Sacr., 13 martii 1910-A. A. S. [2], 193).

4. *Expensae iudiciales.*

Ex doctrina c. 1910: "Victus victori iudiciales expensas regulariter reficere tenetur, tum in causa principali, tum in incidenti". Sed ex c. 1911: "Si... lis... de quaestione valde ardua..., aut quacumque alia et gravi causa, poterit iudex pro suo prudenti arbitrio ex toto vel ex par-

te inter litigantes expensas compensare; idque debet exprimere in ipso sententiae tenore". Ex c. 1851, 1: "Qui contumax declaratus contumaciam suam non purgaverit, sive actor sit sive reus, condemnetur tum ad litis expensas, quae ob suam contumaciam factae sunt, tum etiam, si opus sit, ad indemnitatem alteri parti praestandam".

IN FACTO

1. Constat certo ex instructis de competentia, de iure actoris ad accusandum matrimonium, necnon de legitima declaratione contumaciae partis conventae in utroque processu.

2. Est factum probatum existentia impedimenti ligaminis dirimentis matrimonium actoris cum Anna, quod probatur documento certo et authentico, quod nulli contradictioni obnoxium est, nempe, certificatione matrimonii actoris cum Mathilde, ex qua apparet validum: a) ex documento matrimonium celebratum est coram iudice civili, secretario iudiciali et duobus testibus; b) constat impossibilitas habendi vel adeundi Ordinarium, parochum, vel sacerdotem delegatum; 1.º Il. mus Vicarius Generalis Legionensis manifestat situationem oppidi C. tempore celebrationis matrimonii actoris cum Mathilde tanquam certo inclusum in dicta "zona roja", sub dominatione communistarum, in qua sacerdotes sub crudeli erant persecutione: "La zona roja del partido de La Vecilla (León) comprendía, desde los primeros momentos del glorioso alzamiento nacional, las cuencas montañosas de los ríos Curueño, Torío y Bernesga, y estaba unida con Asturias por la cordillera Cántabro-astúrica, sin otras comunicaciones (fuera del ferrocarril y carretera del Pajares al extremo occidental), que las primitivas para personas y animales. También eran muy difíciles las comunicaciones entre las distintas cuencas hidrográficas de la zona. La vida religioso civil que se hacía en aquella región, iniciado el movimiento, no había de ser uniforme: forzosamente hubo de depender del carácter, más o menos persecutorio que le diera el contacto de aquellos habitantes pacíficos, de arraigadas creencias religiosas, en general, dedicados a la ganadería y al cultivo de sus tierras, con los elementos revolucionarios que llegaban principalmente de Asturias y de algunas zonas mineras de León. Los sacerdotes de aquella región, varios lograron evadirse hacia esta capital de León, siempre en zona nacional; uno fue asesinado en la zona roja a fines de marzo del año 1937; algunos fueron internados en Asturias y dos o tres permanecieron en sus parroquias y allí continuaron más o menos ocultos hasta quedar liberada la zona en noviembre del 37. Hoy han fallecido ya. Se desconocen fechas en general y género de vida". Tamen Il. mus Vicarius non audet iudicare ex praedictis; pro ipso maxima difficultas quia haec omnia satis praeteri-

ta. Quasi ad dubium proponit factum commorationis duorum vel trium sacerdotum, magis vel minus occultorum illis in regionibus. Refert etiam factum translationis nupturientium ad oppidum "C.", ubi certo maiores difficultates ad parochum adeundum, quod ut diximus "in iure" non nocet validitati, nec noceret etsi certo constaret propositum contrahentium in fraudem legis. Ad alia autem dubia aliae probationes desideratae habentur. 2.º Coram notario legionensi D. Villalobos deposuerunt tres testes, quorum primus et secundus milites, testificant tanquam de visu factum dominationis communisticae illis in regionibus, ubi "C." includitur, ubi persecutio religiosa, ex qua sacerdotes alii accisi, alii absconditi, alii salvi facti in fuga.

3. Coram paroco dicti "C.", die 31 ianuarii 1959 deposuerunt quinque testes, omnes boni iudicii, commorantes in illis circumstantiis in dicto "C.", omnes sub iuramento veritatis dictorum, ex quorum testimonium compertum apparet illis in regionibus sacerdotes propter persecutionem religiosam omnes in abscondito, unico excepto Rdo. D. Hiernymide Cañón, infirmo, sene, decumbente, in domo curiali commorante, loco ad carcerem provisorium destinato, cui e domo egredi non licuit, in eadem domo alii etiam in vincula erant coniecti a communistis, sub quorum custodia domus curialis:

Primus testis interrogatus: a) "¿Había entonces párroco u otro sacerdotes?", respondit: "Sí, era don Hieronímides Cañón, ya de edad; b) interrogatus: "¿Se podía acudir a él?", respondit: "No; todos estábamos atemorizados"; interrogatus: "¿Estaba escondido?", respondit: "Vivía recluido en su casa, que hacía de cárcel y creo que en cama".

Alter testis, interrogatus a) "¿Qué circunstancias reinaban?", respondit: "Dominados y amedrentados por los milicianos"; b) interrogatus: "¿Había párroco?", respondit: "Sí; D. Hieronímides Cañón que estaba en calidad de detenido en la misma casa rectoral"; c) interrogatus: "¿Se administraban los Sacramentos?", respondit: "No. Quemaron la iglesia el primer día que vinieron"; d) interrogatus: "¿Había sacerdotes cerca?", respondit: "Todos escondidos en cuevas"; e) interrogatus: "¿Se podía acudir al sacerdote?", respondit: "Para nada; estaba preso".

Tertius testis, interrogatus: a) "¿Había sacerdote?", respondit: "Sí, enfermo y sin salir de casa como si estuviera en la cárcel, pues su casa hacía de cárcel"; b) interrogatus: "Se podía acudir a otros sacerdotes?", respondit: "No, por temor y porque no se sabía dónde estaban; debían estar en el monte".

Quartus testis, a) interrogatus: "¿Había sacerdote?", respondit: "Sí, enfermo en cama y se puede decir que preso porque en su casa estaba la cárcel"; b) interrogatus: "¿Los sacerdotes eran perseguidos?",

respondit: "Sí. Todos estaban escondidos. Al de aquí nada le hicieron, pero no le dejaban decir Misa, ni nada".

Quintus testis, a) interrogatus: "¿Había sacerdote?", respondit: "Sí, D. Hieronímides Cañón, enfermo y con la casa llena de milicianos y una temporada hubo presos. Estaba acobardado y sin poder ejercer"; b) interrogatus: "¿Los demás sacerdotes eran perseguidos?", respondit: "Sí; todos escondidos y en ignorado paradero".

c) Constat pariter de certitudine morali durationis impossibilitatis per mensem, praecipue ex testimonio quinque testium deponentium coram parrocho dicti "C.", qui omnes ad quaesitum: "¿El 30 de diciembre de 1936 pensaba usted que aquello duraría por un mes? (o: "¿más de un mes?")", responderunt: lus testis: "Sí, se veía mal asunto para que terminase antes, así lo veíamos todos; sabíamos poco de la zona nacional y veíamos mucho miliciano"; 2us. testis: "Al principio no, pero para la fecha del 30 de diciembre del 36 habíamos perdido las esperanzas..."; 3us. testis: "Ciertamente; para rato, porque ellos estaban arriba y no se veía solución"; 4us. testis: "Sí, al principio creíamos sería como lo de octubre, pero después vimos que era gordo"; 5us. testis: "Sí. Incomunicados como estábamos y viendo muchos milicianos ya pensábamos que duraría para rato". Quod confirmatur testimonio testium deponentium coram notario Villalobos.

d) Constat nullo detineri impedimento contrahentes, ex quo invalidum matrimonium actoris cum Mathilde, ex investigatione peracta, auditis testibus, de mandato Il.mi Vicarii Generalis Legionensis, a sacerdote cui commissa est cura animarum in paroecia dicta "M.", ubi domicilium habebat tempore celebrationis matrimonii sponsa, quae fuit baptizata ut constat ex authentico exemplari baptismi, ex libro baptizatorum in paroecia "M.", quod est in actis.

e) Constat priorem uxorem, Mathildem, adhuc inter vivos esse tempore matrimonii actoris cum Anna, ex documento publico Regesti civilis civitatis Legionensis; vita functam esse die 24 ianuarii 1950 (apud acta fol. 18).

f) Quoad expensas iudiciales solvendas, hae videntur ex aequo compensandae inter partes, ad normam c. 1911, quia agitur de quaestione valde ardua. Nec nocet parti conventae declaratio contumaciae, ex praescriptio c. 1950, quia tenetur contumax ad expensas "quae ob suam contumaciam factae sunt". Et in praesenti causa expensae non augentur ex contumacia, nisi quoad instructionem et definitionem ipsius contumaciae in duplici processu; quas certo integras solvere debet pars conventa contumax.

Visis omnibus in iure et in facto allegatis; audito et consentiente Defensore Vinculi, Dr. Gonzalez et Gonzalez,

CHRISTI NOMINE INVOCATO,

pro Tribunali sedentes, praetermissis vero, cum agatur de casu excepto, aliis consuetis solemnitatibus:

Edicimus, pronuntiamus ac definitive decernimus: Constare in casu de matrimonii initi inter Ildefonsum et Annam nullitate ob impedimentum vinculi coniugalis ex matrimonio valido et nondum soluto, tempore celebrationis secundi, inter Ildefonsum et Mathildem, illius validitati obstans. Expensas iudiciales compensamus inter partes, exceptis illis ex declaratione contumaciae causatis, quae integre parti conventae contumaci imponuntur.